

f. 76<sup>r</sup> LII. AD EUNDEM, PICTAS URBES EMENTEM

Pro quibus immensus bellum ciet urbibus orbis  
 Dantur et alternae vulnera mille neces;  
 Pro quibus argentum, fulvum vacuatur et aurum:  
 Ecce novem nummis octove Petrus habet.  
 Proh scelus! humanae quanta est stultitia vitae:  
 Quo pereunt reges unicus assis emit!

5

4 ms habes, em.: cf. c. LXV.

## LIII. MARCO MARULO IN VALLE SURDA COMMORANTI

Cultor et antistes Surdae, celeberrime, vallis,  
 Marule, perpetui regis amator, ave!  
 Cuius in auxilium fidei dictamina nostrae  
 Flura vigent, scriptis annumeranda sacris.

5

Cuius honoratae volitant insignia famae  
 Praemia, Pieris digna referri modis.  
 Scire velis fortasse tui quid Marce, sodales,  
 Quid faciant fratres, quid pia mater ait?

10

Ipsa tuos patria infelix qua mente recessus  
 Pertulerit? Num quid flevit amica cohors?  
 Barbarus haud aequo dictus cognomine quaestor

15

Te loquitur, de te somnia fera refert.  
 Si quis ait scriptum quod te misisse, „Salutat —

Interrogat — num me Marulus anne meus?“  
 Huic, ubi pro certo missam videt esse salutem,

15

Labuntur lacrimae maesta per ora piae.  
 Moribus excultis Aloysius atque Marinus

Heu veluti amissum te sibi uterque dolent.  
 Hi prece sollicita sacramum numen adorant,

20

Ut possint tecum vivere sive mori.  
 Nicoleon sine te Petrarcha nec incubat aris,

Ut prius: oranti tu sibi in ore sonas.  
 Te meminit superos tacita si voce fatigat,

25

Te licet absentem nocte dieque refert.  
 Carmen ubi accepit factum de Virgine Sancta,

Hieronymus de te, Marule, mira canit.  
 Hoc sonat ad citharam; laudat per compita, stringit

Pectoribus; grates hoc tibi semper agit.  
 Incolumes tibi sunt fratres, carissima mater

30

Vivit adhuc, sine te si sibi vita foret.  
 Heu patria altisonas subicit gemebunda querellas,

Vulsa comam, lacerum pectus et ora notat.  
 Nam modo qui fueras Spalatensi solus in urbe

Omnibus exemplar consiliumque decus,

f. 76<sup>v</sup>f. 77<sup>r</sup>

- 35
- Tam cito raptus abis, abiit tecum omnis honestas  
Et probitas vitae religioque fides.
- Nos sine te laeti nequaquam vivimus; auget  
Tot mala nostra tuae facta ruina fugae.
- f. 77<sup>v</sup> Vivimus et si vis nostram cognoscere vitam,  
Accipe, pars animae maxima, Marce, meae:  
Egredere e muris nihil est nisi Turcicus horror,  
Praeda cruenta, neces, flamma, querella, fuga.  
Villicus accurrens albo et sine sanguine vultu,  
Dat captivorum nomina, bella refert.
- E speculis custos trepidi dat signa tumultus:  
„Heu fuge, — conclamat — praecipitato fugam!“
- Quisquis ad arma vocans se praeparat, arma resultant;  
Arma gerit iuvenis, currit ad arma senex.
- „Pax intra muros tamen est laudanda sed, inquis,  
Haec solet externum saepe levare malum.“
- O utinam pax ista foret! Maiora sed intus  
Bella tument, odiis heu maledicta novis.  
Qualia Romulei nunquam videre nepotes;  
Aetas non vidit qualia nulla prior.
- Natus it in patrem, saevissima filia matri est;
- f. 78<sup>r</sup> In socerum dirus suscitat arma gener.  
Frater in auxilium fratris non sperat, amico  
Nullus amicus adest; nunc nepos odit avum.  
Cognatum, cognate, cave! Stat quaeque sorori,  
Tamquam privigno saeva noverca, soror.
- Iurgia, si rixas, si quis conspexeris iras;  
Saevitiam, lites conviciumque dolum.  
Protinus accurrit populi non parva corona;  
Interroga, quid sit? — Ista propinquus agit.
- Nullus amor; quae sunt miseris solacia rebus?
- f. 78<sup>v</sup> Prospicis arma foris, prospicis arma domi.  
Interea felix tu laeta mente reponis  
Otia, candidulis candidiora rosis.  
Integer expectans aeternae praemia vitae,  
Irrides nostri temporis exitium.
- Inconcussa fides suffert tentamina mundi,  
Concilias Christum dum tibi, Marce, tuum.  
Quem pro Francisco velis exorare misello,  
Perpetuo sic te donet, amice, bono.
- 40
- 45
- 50
- 55
- 60
- 65
- 70

5 ms phamae. 6 referri: ms referre, em. 12 ms phera. 14 ms interrogat. 19 hi:  
hij ms. 22 ore: corr. ex aure. 36 ms rellgioque. fides: corr. e simul. 62 conviciumque:  
corr. e conspicuumque. 64 ms interoga. 69 ms espectans. aethernae.

## LIV. MARCI MARULI RESPONSIO

Grata salutatrix a te mihi littera venit,  
 O Francisce, meae cultor amicitiae!  
 Haec docuit quanto est absentia nostra dolori  
     His, quibus extiteram semper in urbe comes.  
 Tum quod tristitia cumulus superadditur isti  
     Dum pecus in praedam ferri hominesque vident.  
 Ferre utrumque malum mentique mederier aegrae  
     Dicere conabor qua ratione decet.  
 Insula me retinet quae scis, non amplius ista  
     Quam stadiis decies distat ab urbe decem.  
 Quod si forte velint mecum simul esse sodales  
     Et nostra cupiunt rusticitate frui,  
 Acta ratis remo septenis ocius horis  
     Sistet in hoc illos quo moror ipse loco.  
 Excipiam laetus venientes; brachia collo  
     Advolvam, labris labra genisque genas.  
 Inde recumbentes oleae viridantis in umbra,  
     Placati iuxta murmura blanda freti,  
 Alterno dulces miscebimus ore profatus,  
     Dum pueri mensas prandiolumque parant.  
 Mox invitati pergemus sumere non quas  
     Dicitur Antoni mensa vorasse dapes;  
 Nec patinas, Luculle, tuas pinguesve capones,  
     Sive papillatae sumina grata suis,  
 Sed cenam cui dimisso Serranus aratro  
     Vellet honoratas applicuisse manus,  
 Et qua contentus Samnitum sperneret aurum  
     Vir praestans animo Curius atque fide.  
 Pulmento satiare famem potuque levare  
     Simpliciore sitim creditur esse satis  
 Laudeque tam dignum: quam prorsus turpe putatur  
     Esse suae servum mancipiumque gulae.  
 Cena tamen vobis dabitus magis ampla, sodales:  
     Nostri ruris opes, brassica, beta, cicer;  
 Et de vicino capti modo gurgite pisces:  
     Sargus, maena, canis, sepia, salpa, lupus.  
 Pocula non deerunt, baccho saturata rubello,  
     Quaeque solet rigidum lympha domare merum.  
 Denique quae mensae donat Pomona secundae:  
     Vel pira vel ficos vel melimela dabo.  
 Ergo si qua meos nunc cura fatigat amicos  
     Visendique mei si qua cupidio tenet,  
 Dic veniant — iter est modici, Francisce, laboris —  
     Cumque illis, si me diligis, ipse veni.  
 Non sic adventu quondam laetus Ulyxis  
     Hortorum cultor dicitur Alcinous;

f. 79<sup>r</sup>f. 79<sup>v</sup>

10

15

20

25

30

40

45



- 50
- Nec tanto exceptum pastoris amore Molorchi  
Amphitryoniadem fama fuisse refert.  
Ipse ego quam vobis hilari ferar obvius ore  
Et toto cedam protinus hospitio.  
Cunctorum, quaecumque deus mihi donat, amicos  
Consortes fieri participesque volo.  
Solari interea Martis, Francisce, maligni  
Casibus afflictos hac ratione potes:  
Nec frangi adversis nec laetis fidere rebus  
Egregium quiddam magnificumque putent.  
Terrarum nihil orbis habet firmumve ratumve:  
Omnia non stabili fertque refertque rota.  
Irus ut in Croesum, sic Croesus transit in Irum:  
De misero locuplex, de locuplete miscr.  
Servitio premitur dudum qui sceptra tenebat,  
Sceptra tenens regnat qui modo servus erat.  
Denique cunctarum sunt magna volumina rerum  
Atque agitat varias sors animosa vices.  
Illo igitur nostrae mentes et vota ferantur,  
Est ubi perpetui mansio certa boni.  
Christicolas immensa beant ubi gaudia fidos,  
Gaudia non ulla deperitura die.  
Nil hostile timent nec quicquam triste verentur  
Conspectum summi qui meruere Dei.  
Ipse quidem nobis caelesti in lumine sedem  
Esse iubet, non quam nunc habitamus humum.  
Propterea quicumque gemit dispendia terrae,  
Fallitur haec patriae si putat esse suaee.  
Hic lugenda tamen pravae sunt crimina mentis,  
Ut dolor iratum mitiget iste Iovem.  
Hic culpas deflere docet, scandamus ut illo,  
Illo ubi tristities non habet ulla locum;  
Illo ubi laeta salus, pax candida, vita perennis,  
Et sine lite quies, et sine nocte dies.  
Hactenus haec. Ipsos nunc nostra Thalia salutet  
Intima quos nobis iungit amicitia:  
Hieronymum cithara clarum, gravitate Marinum,  
Ruris et agrorum cultibus Alvisum;  
Nicoleon risu facilem, sed, ut ipse iubemus,  
Ante salutetur Barbarus usque meus;  
Ille licet musis et sanguine praestet avorum,  
Non tamen invitus carmina nostra legit.
- 65
- 70
- 75
- 80
- 85

2 ms (per haplogiam — titi —, cf. 82) amitiae. 13 ms oris. 26 ms aplicuisse.  
34 ms brasica. 40 ms melimella. 42 ms viscidinde. 48 ms Amphitrioniadem. 49 ms  
ferrar. 76 mitiget corr. e mitigat. 81 salutet: ms salutat.

LV. AD STATUARIUM, MARCI MARULI EFFIGIEM  
FORMARE PROCURANTEM

f. 81<sup>v</sup>

Vana cupis: gypso longum protendere in aevum  
Effigiem tanti nominis atque viri,  
Nobilis o factor! Fabrili fictier arte  
Non potis est virtus vivida: vana cupis!  
Marmorata Praxitelis frangentur et aera Myronis; 5  
Durat Apelleis nec color in tabulis.  
Certius est signum, quo se defendit ab aevo  
Marulus, aeternis clarus ad astra notis.  
Quis Maro, quis meruit divinum nomen Homerus  
Et plures quorum fulget imago recens. 10  
Quare age, vane, precor vanum sepone laborem:  
Quod manus ipsa facit, debilitatur opus.  
Ingenio decrevit opes cum vatibus almas  
Quae Pieris Marulus iste meus;  
Inter honoratos sublimia scripta cothurnos 15  
Huius ubique tenet quisquis in orbe legit.

*7 ms deffendit. 11 sepone corr. ex depone.*

LVI. AD MARCUM MARULUM  
DE OBITU VALERII FRATRIS

f. 82<sup>r</sup>

Marule, Socratae non dispar gloria vitae,  
Praevalido fultum robore pectus habens,  
Exemplar virtutis, honos, lux, Marule, nostri  
Temporis, o patriae vita salusque tuae!  
Tramite qui recto divinae sedis ad urbem 5  
Tendis et invitans dirigis hinc alios  
Quid mandata Dei iubeant; qui solus ad unguem  
Observas plures, deinde docere cupis.  
Sub pedibus Fortuna tuis regina triumphans  
Terribiles vinclis ferre coacta manus. 10  
Mors et fata deum, quid sint caelestia nosti  
Iura, quid humana conditione subest.  
Quam miserum est mortale genus fluitansque caducum,  
Ut rosa florigero languet adempta iugo.  
Nosti quam subito mutantur gaudia luctu. 15  
Alitis acta modo; quam brevis hora fugit.  
Confiteor grave sit damnum, gravior quoque poena  
Nonnullum ex caris occubuisse tuis.  
Frater erat, dices: carissima pectora fratris  
Heu miser ipse gemo perpetuoque gemam! 20  
Huius nomen erat quanta probitate fideque  
Te docet et quali laude ferendus honos!

f. 82<sup>v</sup>

- 25
- Quis dubitat clarae quod erat virtutis amator,  
Nobilis in bello nobiliorque toga?  
Huic inerat gratae quaedam praestantia formae;  
Ingenium, probitas consiliumque decus.  
Non sibi sed patriae carisque vigebat amicis;  
Iuverat ignotos auxilioque suos.
- 30
- Doctus, honoratae meruit paeconia vitae,  
Mellifluum fundens semper ab ore favum.  
Adde quod ille quies studiorum, Marce, tuorum,  
Ille tuis curis dulce levamen erat.
- 35
- f. 83<sup>r</sup> Dum fuit hic, dulces Musarum expromere fetus,  
Aonidum poteras sollicitare nemus.  
Sed quid ego haec referens vulnus in vulnera condo,  
Et lacrimas lacrimis associare parem?
- 40
- Oceano fluctus, frondes cur frondibus addo;  
Aequoribus pisces, sidera curve polo?  
Vivit adhuc neque enim mortales exuit artus  
Ipse tuus vita frater amabilior.
- 45
- Improba mors cuius corpus dum dente maligno  
Stringeret, horrisonas incutiendo minas,  
Sic ait: „Obsequium videor, non vulnera ferre  
Huic ego. Cur? Morsus non timet iste meos.  
Sollicitat quem non duri violentia fati,
- 50
- Diruet imperium forsitan iste meum.“  
Cui Valerus placida compostus mente, quieto,  
Imperturbato reddidit ore sonos:  
„Omnibus esse soles rabida truculentior ursa
- 55
- f. 83<sup>v</sup> „Quis placuit vitam labe notare suam.  
Ferrea qui subeunt pravae retinacula mentis,  
Ferentur semper turbidiore metu.  
Ast quibus aetherei fervens in vertice caeli  
Astrigero mens est, cura perennis, amor;
- 60
- Ast quibus immensum decus immortale per aevum  
Fulget et aeternum praemia clara vigent;  
Pace tua nunc sit, mors o saevissima, dictum:  
Hi tibi nil debent, non meruere mori.  
Mortem nemo timet nisi qui cum crimine vixit:
- 65
- Qui bene vivit habet sub ditione necem.“  
Dixit et in verbo medium sibi protulit unguem  
Intrepidus caecae probra futura deae.  
Ergo, age continuo non indulgere dolori,  
Marce, velis! Lacrimis, Marule, parce piis!
- Ex quo nil timuit leti discrimina frater,  
Certa haec fraterna signa salutis habe.

Mg manu Alacevicii: Valerio è morto addì 8 agosto 1520. 8 ms dinde. 13 miseris est, coni.: miseris ms. 21 huius: corr. e cuius. 30 ms melifluum. 37 msoceano. 46 ms diruet. 48 ms imperturbato. 52 ms ferrentur. 54 ms perenis.

## LVII. MARCI MARULI RESPONSIO

f. 84<sup>v</sup>

Angebant, Francisce, mei me funera fratris;  
 Nulla quies lacrimis nec modus ullus erat.  
 Omnibus ex illis fuit hic carissimus unus,  
 Quae quandoque animo grata fuere meo.  
 Non sic ipse suum dilexit Castora Pollux; 5  
 Euryalus Niso non ita gratus erat.  
 Illius affatu iucundo saepe fruebar;  
 Nullo me facto laeserat ille suo.  
 Promptus et urbanis fuerat disponere rebus;  
 Et regere inde suos sedulus usque lares. 10  
 Illius cultu largo magis ubere glaebae  
 Frugibus implebant horrea nostra suis.  
 Aprici colles et consita vitibus arva  
 Vina cadis nostris vix capienda dabant.  
 Interea mihi multa quies et tempora laeta 15  
 Mens tamen in musis ingeniumque fuit.  
 Nunc illo amissio successit cura quieti;  
 Dispulit adveniens otia longa labor.  
 Quaeque aderant nobis, procul effugere Camenae  
 Deseruitque meam Pegasus unda sitim. 20  
 Denique pressus ego tantorum mille laborum,  
 Optabam vitae fila suprema meae.  
 Ast ubi missa mihi tua nuper carmina legi,  
 Solamen casus grande fuere mei.  
 Abstensi lacrimas luctumque recedere iussi, 25  
 Compulsus monitis consiliisque tuis.  
 Di tibi pro tali persolvant munere grates  
 Fataque dent fatis candidiora meis.

*Ms RESPONSSIO. 6 ms gatus. 7 ms jocundo. 13 ms coles. 27 ms dij.*

LVIII. NENIA AD PETRUM PETRARCHAM,  
IN EXTREMIS LABORANTEMf. 85<sup>r</sup>

Imbribus uda piis spargebam lumina tristis  
 Nuper ad aegrotum corpus, amice, tuum.  
 Tu modo certa tuae stringebas limina vitae,  
 Heu tibi fatiferae quae statuere deae.  
 Et modo maesta mei tandem suspiria cordis 5  
 Excipis, invito lumine quemque notans.  
 Dulcis amor tibi erat nostros cognoscere fletus,  
 Sed tamen incassum, membra gravante malo.  
 Mors aderat Stygio cum remige saeva, profundus  
 Et sopor, exesa cum face dira soror. 10